

1495 quebantur: tormenta omnibus aciebus erant præposita: eæque acies non ita magno inter se relicto spatio constipatæ, celeriter, uti si possent Venetos effugerent, vadebant. Interea nuncii ad Venetorum castra, qui pacem ab legatis peterent, fallendi gratia mittebantur. Ubi id imperatori nunciatum est, militibus ut arma caperent imperavit: ipse deinde armato exercitu, & infessis equis copias omnes ita disposuit, ut ex iis novem acies efficeret: quarum quinque equitum cataphractorum essent, tres militum, equitum levis armaturæ una. quæ res impetum exercitus imminuit: nulla enim earum satis virium ad hostem propellendum habebat. Erat inter utrumque exercitum Tarus, de quo dictum est, flumen, quod ea nocte creverat: ejus autem vallis planities impedita non ripis modo fluminis, sed glareæ etiam, grandibusque saxis, tum & virgultis, &, quod magnæ pluvie fuerant, lubrico & lacunoso cæno, ut inæquabilem & difficilem transitum daret. Gallorum prima acies cum ante castra Veneta pervenisset, armari milites conspicata, magnum in eos pilarum ferrearum numerum tormentis immisit: quas tamen prope omnes supra militum capita vis ignis impetusque abstulit, ne magnopere nocerent: percommodeque ea in re accidit, quod tum cælum erat pluvium, ut sua Galli tormenta, quorum magnum numerum habebant, amplius exercere non potuerint. Tum vero imperator moras omnes posthabendas ratus, magno ipse animo, & rei bene gerendæ fiduciæ pleno, quem etiam provehebat adolescentiæ, instructo exercitu, constitutoque quid fieri oporteret, ac permissa patruo reliquas acies submittendi potestate, signo pugnæ dato, & transmissis pedibus flumine, regis exercitum, qui quidem mille passuum iter eoque amplius jam præcesserat, citato gradu insequi cœpit: eumque prope medium affecutus, in regis aciem, quæ se converterat, impetum fecit. Prælio acriter commisso cum fortissime ab utrisque pugnaretur, Rodulfus acie una maxima atque plenissima, cui Antonius Feltrius Guidi Ubaldi frater nothus præerat, iussa consistere, altera castris præsidio esse,

*prid. id.
jul.*

*Prælium ad
Tarum flu-
men.*